



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 4. Unde eliciantur devotionis affectus

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

genus attentionis nonnisi doctoribus convenire; qui sensum psalmorum literalem, & mysticum percipiant, & sanctorum Patrum in ipsos lucubrationes frequenti manu versarint. Est autem hæc attentio cæteris omnibus facilior, utilior, atque evagationibus minus subjecta, sanctorumque Patrum documentis, ac Ecclesiæ spiritui magis conformis.

III. Postremus attentionis modus doctis & indoctis communis est, per quem finem orationis respicimus, qui est Deus. In viris doctis formalem attentionem non excludit, sed perficit. Doctores spirituales varias methodos adinvenerunt respiciendi jugiter Deum dum oramus, vel certis quibusdam signis materialibus adhibitis, quæ mentem percellant: vel assumptis objectis ex vita, & Passione Christi: vel selectis quibusdam contemplationibus ex divinis attributis: quæ omnia hîc transcribere, ut nimis laboriosum, ita & inutile foret. Hæc enim exercitia vix ad praxim reduci possunt sine distractione, aut gravi capitis offensione: nam continua attentio ad illas signorum distinctiones, si diu adhibeatur, caput lædit; si verò interrumpatur, inde sequantur distractiones.

§. IV. Unde eliciantur Devotionis affectus.

Quinque sunt fontes è quibus inter psallendum hauriri poterunt devotionis affectus. Primus fons copiosior cæteris, sunt ipsimet psalmi, qui cum diversis deserviant affectibus, aptissimi sunt ad excitandam in corde devotionem. Ut si psallas versiculum illum, *Domine non est exaltatum cor meum*; sic poteris affectus excitare: Utinam numquam fuisset exaltatum cor meum! ô si cor meum numquam exaltaretur! Væ mihi, quia revera exaltatum est cor meum? Quando fiet istud, Domine, ut non exaltetur cor meum? Secundò, poterunt affectus educi ex singulis verbis, cum præsertim sub unica voce multiplici notarum decursu protrahitur cantus: ut si hoc nomen, *Pater*, audiatur in cantu, protinus assur-

gere debet animus ad tanti Patris amorem & reverentiam : ad orandum fiducialiter pro necessitatibus nostris : ad generosum terræ contemptum ; ad supernæ hæreditatis desiderium , quam Pater filiis suis præparavit in cœlo. Tertio, eliciuntur adjiciendo verbis psalmorum quædam adjectiva, ut si legas versum, *Miserere mei Deus*, dices, Deus bone & misericors, cui proprium est misereri semper & parcere : benignissime Domine, suavis, & clemens, miserere mei nequissimi, immundi, & abominabilis peccatoris, qui tam multipliciter te optimum Patrem offendi. Quarto, eruuntur ex circumstantiis orationis, considerando nimirum quis oret, quem, pro quibus, quid petat, cur, quando, & alia ejusdem generis. Tandem hauriri potest affectus ex objectis vitæ & Passionis Christi, quæ possunt singulis officiis assignari. Illud porro notandum, ut pro diversitate orantium mutentur affectus secundum exercitia triplicis viæ, purgativæ, illuminativæ, & unitivæ. Incipientes enim flere peccata, debent & ingemiscere ac timere : proficientes virtutum augmentum petere, seque Domino ad heroicas virtutum actiones magnanimè offerre : perfecti verò ad unionem cum Deo ardenti amore suspirare,

§. V. *De privata Officii recitatione.*

Qui privatim Officium extra Chorum recitant, tamen si supra scripta omnia servare non possint, satagere nihilominus debent, ut suæ pensum servitutis reverenter, attentè, & devotè reddant, integra verba distinctè pronunciantes, statutam servantes horam, nisi necessitas excuset, & locum aptum quærentes, atque à distractionibus remotum. Utantur etiam situ decenti cum timore divino flectentes genua, ut Regulæ suæ capite 50. sanctus Benedictus decernit. Hoc autem præceptum tanto olim rigore servabant Cistercienses, ut etiam iter agentes, & equitantes horis constitutis descenderent, ut flecterent genua. Cum vero Cluniacensibus hujus Mo-